



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Camilli De Lellis Fvndatoris Religionis Clericorvm Regvlarivm Infirmis Ministrantivm

Cicatelli, Sanzio

Antverpiæ

Præfatio Ad Patres Et Fratres Religionis Clericorvm Regvlarivm Infirmis
Ministrantivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37267

P R Æ F A T I O
A D
P A T R E S E T F R A T R E S
R E L I G I O N I S
C L E R I C O R V M R E G V L A R I V M
I N F I R M I S M I N I S T R A N T I V M .



*V*M sanctæ memoria Pater
noster CAMILLVS, qui
nos omnes in Domino regene-
rauit, vitam hęc mortalem
ageret, iam vsque à primis
annis, quibus ab eo in Congregationem re-
ceptus sum, adieci animum nonnulla Vita
ipsius facta continenter obseruare. Quod
quidem tum faciebam magis ad exemplum
& consolationem animæ meæ, quàm quòd
illi superstes viuere, aut aliquod historie ge-
nus inde contexere meditarer. Verùm post-
quam diuinæ Maiestati placuit eum ad se
euocare, atque ipsi tribuere, vt feliciter spa-
tium suum decurrerit, cursumque consum-
marit;

marit ; arbitratus sum equidem ingrati fore
animi , si paucularum rerum , quas super
eius Vitâ annotaram, participem non face-
rem hanc nostram Religionem, à quâ dein-
de posset eiusce consolationis fructus in omne
hominum genus emanare . Ab hoc tamen
proposito, partim ex tanti viri reuerentiâ,
partim etiam ex virium mearum imbecilli-
tate , quòd stilo meo rudi eius excellentes
exprimere posse virtutes diffiderem, parum
abfui quin resiliirem, & hoc opus alteri tra-
ctandum relinquerem . Verum, ut rem
mecum attentius consideravi, & hoc potiùs
vilis abiectique animi indicium, quàm ger-
manæ reuerentiæ specimen esse recognoui,
ad opus prosequendum me contuli; duabus
rebus potissimum ad id maiorem in modum
stimulatus. Quarum prior fuit, ad propo-
nendum nostræ Congregationi viuum ali-
quod speculum, & singulare exemplum
charitatis, quod in omnibus actionibus suis
contemplari & imitari valeret; eadem sci-
licet gradiendo viâ, iisdemque insistendo
vestigijs, quæ primus eius Pater tam ma-
gnis

gnis impressa passibus, ei demonstravit. Altera verò, ad spem dandam peccatoribus, militibus, & lusoribus, & cuiuscumque modi hominibus desperatis, ne de diuinâ ope atque misericordiâ umquam diffidant: quandoquidem visuri sint in hac narratione hominem vnum idiotam (qualis CAMILLVS fuit) imò militem & lusorem tantum, vt immodicæ lusionis vesaniâ ad egestatem & stipsis emendandæ necessitatem reductus fuerit; visuri sint, inquam, tam admirabilem cum diuinâ gratiâ prestitisse postmodum vitæ mutationem, vt meritis fuerit vnius in sanctâ Ecclesiâ Religionis fundator existere. Neque tamen idcirco expectare debent peccatores, vt Deus in ipsis patret miracula, sed potius ita se ipsi comparare, vt sua conuersio viâ fiat procedatque ordinariâ. Hisce igitur causis stimulatus, nolui ab incepto desistere, sed presentem laborem ausus sum in lucem emittere: ex quo equidem spero (licet nullus alius decerpatur fructus) breuè originis ac principij Congregationis nostræ cognitionem acceptum iri.

Quæ

Quæ res profectò eiusmodi est, ut quam-
uis eius Fundator non tam eximiâ fuisset
virtute præditus quàm fuit; tamen merita
fuisse ob nouitatem, ut peculiaris de
ipsâ tractatus ederetur. Jam in ipsius hi-
storiæ contextu, tria mihi speciatim cordi
fuerunt, VERITAS, SIMPLICI-
TAS, BREUITAS. Veritas quidem,
in scribendis tantummodò purè & candi-
dè rebus, ipsi, prout euenerunt, nihil au-
gendo, nihil adiungendo; quippe qui non
ignorem, quàm sint abominabilia apud
Deum idola hominum manu facta: quare
ita res enarraui, ut vidi, ut tractaui, aut
certè, ut ipsemet CAMILLVS, aut
Curtius Lodi, aut P. Franciscus Prophe-
ta, qui eum ante foundationem cognouerunt,
aut alij quidam, sed omnes fide digni, me
docuerunt. Atque ex ipso quidem ut aliqua
eius facta rescirem, fateor plurimam me
semper expertum esse difficultatem. Quam-
uis enim ea quæ in eius vergerent despicien-
tiam, perlibenter aperiret, imò & palàm
referret; tamen eorum, quæ ad ipsius spe-
ctarent

**

Etarent

Etarent commendationem atque laudem,
nihil umquam potui ex eius sermone, nisi
magno cum labore, adeoque summâ impor-
tunitate meâ extorquere. De ijs loquor, quæ
ante ingressum meum in Congregationem
acciderunt. Nam quæ deinceps euenere, ea
maximam partem tamquam testis oculatus
in medium profero. Simplicitas autem mihi
expressa est, in usu stilifacilis, vulgaris, ob-
uij, & ab omni picturâ coloréve rhetorico
remoti; tam ad clariorem nostrorum Fra-
trum intelligentiam, quàm ad ipsius mate-
riæ (quæ ferè est de re humili, piâ, deuotâ)
conformitatem: quippe quæ nihil propè a-
liud, quàm paupertatem, morbos, mortem,
aliasque eiusmodi vitæ humanae calamita-
tes atque misérias oculis obijciat. Unde
meritò iudicauì, hanc historiam humili ac
depresso stilo contentam simplices nostro-
rum manus petere debere, non autem inter
nouorum & prælustrorum Scriptorum labo-
res locum ambire. Breuitas denique, quoad
eius quidem fieri potuit, in omnium rerum
superuacanearum (quæ inseri vulgò est
immi-

immisceri solent) exclusione atque fugá.
Nam multis quidem, qui fructum spiritus
ex historijs querunt, plerumque displicet
tot eas cerni floribus obumbratas, tot au-
toritatibus (quibus perlegendis prius
deuotionem amiseris, quam lectionem ab-
solueris) contestatas. Et verò satis constat,
in describendis Sanctorum aliorumve ho-
minum pietate præstantium Vitis, eas sem-
per maioris habitas esse fidei, quæ in veri-
tate exprimendâ fuerunt breuiores. Cete-
rum de his qui in Congregatione nunc sunt
superstites, multa silentio præterij, quæ ve-
nire in lucem meritò debuissent: sed eorum
humilitas atque modestia vt scriptis ea pro-
derem, non permisit. De illis tantummodò
Patribus ac Fratribus nonnihil attigi, qui
in aliquâ contagione, aut alio quopiam me-
morabili casu, pro salute proximorum occu-
buere morti: vt nimirum possint nostri, qui
post venturi sunt, exempla ab ijs sumere
virtutis ac fortitudinis, vt ne parcant car-
ni ac sanguini, cum eos in tales occasiones
aut casus tulerit, aut res exegerit: præfer-

tim intuentes nostros maiores, nec specioso sermone delectatos, neque (vt Apostolus loquitur) aëris verberatione; sed viua sui- ipsorum mortificatione, quoad vitam pro salute alienâ profunderent. Quibus in contagionibus cum præsentem ac momentaneam vitam perdiderint, quis est qui dubitet, quin æternam celestemque acquisierint? proindeque digni sint, non vt breuiculâ in historiâ nomenclantur, sed vt in illo Vita libro describantur, præsertim quod eorum mors glorioso sanctorum Martyrum certamini consimilis reputetur; cum in Martyrologio Romano ad diem 28. Februarij multorum memoria Alexandria celebretur sanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cum pestis sæuissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes, libentissimè oppetiere; quos velut Martyres religiosa piorum fides venerari consuevit. Equidem spero, Congregatione in solito charitatis seruore erga infirmos persistente,

stente (iuxta viua exempla quæ à Patris
nostri vberibus suximus) Deum per illam
non mediocres in animis hominum fructus
producturum . Ac tametsi illa non ab al-
tâ & inclytâ origine, sed à paruo & hu-
mili principio nata sit ; nihil tamen cause
est, quamobrem deiecto diffidenti que ani-
mo esse debeamus : cùm satis notum sit, quò
altior erigenda est fabrica , hoc profundiora
iaci solere fundamenta. Cùm enim ceber-
rimis illis Religionibus sancti Dominici &
sancti Francisci , ac nouissimæ Societatis
IESV (vt alias itidem illustres præter-
eam) daretur initium, nemo sibi umquam
persuasisset , animòve concepisset , eos qui
à primis illis nascituri essent Fundatoribus,
pauperibus, nudis, vexatis (quibus tamen
vix dignus erat mundus) tam felicem
postmodum in sanctitate, in doctrinâ, in
miraculis, in mortalium ad Deum conuer-
sione, successum habituros, quàm postea
vtroque orbe præclaris ac stupendis ipso-
rum operibus in stuporem raptò, habuisse
conspeximus. Quare potest & nostra Con-
gregatio

** 3

gregatio

gregatio sperare non abbreviatam esse manum Domini; & micæ saltem, quæ cadunt de abundantia suâ mensâ, suppeditaturam. Hanc porrò historiam in tres libros diuisi. In quorum primo complexus sum, quidquid ad Patrem nostrum ab eius ortu vsque ad Religionis fundationem pertinere visum est. In secundo prosecutus sum ea quæ à fundatione vsque ad felicem eius excessum acciderunt. In tertio denique comprehendendi varia eius facta, quæ inserere corpori historie nolui, ne Lectorem eorum diuersitate à rectâ narrationis serie diuertirem. Iam de rebus admirabilibus, quas Dominus interuentu serui sui, tam superstitis quàm defuncti, efficere dignatus est, præsertim in ope multis infirmis afferendâ, non mihi consilium fuit quidquam perscribere; cùm id negotium ad sanctam Sedem Apostolicam totum sciam pertinere. Itaque expectabimus orantes & precantes vsque ad tempus præfinitum à Patre misericordiarum; & hæc in diuinorum secretorum abisso relinquentes, totis viribus atque
neruis

neruis ad imitandam boni Patris nostri hu-
militatem, charitatem, aliasque eius virtu-
tes nos conferemus: minimè ignari, hæc esse
maxima miracula, quæ exhibere mundo po-
tuerit; quòd tales scilicet in terrâ reliquerit
filios, qui ipsum sub sacro Crucis vexillo
sequentes, eius essent virtutum ac bene-
factorum imitatores.



** 4 INDEX